

fixi, quæ non conjuncta sit cum particulis acidis Tartari crudi seu Cremoris Tartari; neque contra ullam esse particulam acidam Tartari crudi, quæ non sit saturata à Sale fixo. Quo observato, destillatio, sopita scilicet particularum salinarum actione, tanto securius instituetur. Quod verò acidæ saltem particulæ Tartari crudæ, non autem Alcalicæ à Sale fixo assumantur statim patebit.

Cum verò de Salium fixorum nova volatili fatione præcipua quæstio sit, omninò existimo, in hac Tartari fermentatione, primariò quidem non ipsum Alkali Tartari fixum denuò volatilifari, sed, potius fermentum additum Tartarum scilicet crudum. In hoc enim Tartaro crudo quamvis Salia fixata non dentur (quod antea de omnibus mixtis asserere ausi fuimus) nihilominus tamen Alcalicæ Tartari particulæ volatiles, ab Acidis ejusdem volatilibus ad punctum saturationis usque admixtis detinentur, unde figuntur, hæc enim duo conjuncta se mutuò figunt,